Frid. Zamell

OLEÆ PRÆCONIUM

Sive

Pacis aſsertio.

Prælo Bodenhauſiano
anno M. DC. XXXV.

Sexviris pacis inter Serenissimos Sveciæ Poloniæq; Reges sanciendæ à Svecorum parte eminentissimis:

Illustrissimo Dn.

PETRO BRAHE,

Comiti in Visingsborg, Lib. B. in Ridboholm & Lindholm, Iudici Provinciali Vestmaniæ, Montanorum & Daliæ.

Illustri Dn.

HERMANNO VRANGEL,

Hæreditario in Ahlo & ScogCloster, Eq. Aurato, Mareschallo Campi, & Generali per Borussiam Gubernatori.

Illustri Dn.

STENONI BIELKE,

Lib B. in Krakerum, Legato Ordinario ad Aulam Pomeranicam, & militaris statûs ibidem Generali Gubernatori

Illustri Dn.

ACHATIO AXELII,

Hæreditario in Goxholm & Rinckestad, supremi Dicasterii Regii StocholmI Adsessori, & Iudici Provinciali Nericiæ.

Regni Svetici Senatoribns Excellentissimis.

Illustri Dn.

IOHANNI OXENSTIERNA,

Lib. B. in Kimitho, Domino in Fiholm & Tydoen, Consiliario S. Reg. Majest. secretiori.

Generoso & Magnifico Dn.

IOANNI NICODEMO AB AHAUSEN,

Sacr. Reg. Majest. Secretario, & per Borussiam Ordinario Commissario.

Rem

REm conſtitutum itis, Sexviri eminentiſsimi, & lingvis omnium & nullis non literarum monumentis celebratam ad poſteros. Pax ea eſt: bonum, quo generi humano nec amplius quicquam dari poteſt, nec jucundius. Cujus conſilia quidem in Vobis, at non tam promta penes vos præſtatio. Si amicos nobis eos effeceritis, qui hoſtes fuêre hactenus, erit nobis exinde illud per vos à ſolo Numine. Quod vel noſtrâ causâ quàm optetis, ut indicio animi veſtri explorata eſt æquitas, ita illius numeri quo coiiſtis occulta arguit ratio. Cùm enim niſi armatâ manu pacem decorè offerre non poſsitis; nec eo numero fas eſſet, qui etſi quietis ſit non inhoneſtæ ſymbolum, deſidiæ tamen argumento ferocium populorum ſupercilio ſuccumbit; placuit is latè reginæ genti, qui non tam proxime minor, quàm cœteris ſuo myſterio auguſtior: In iis, quos cũ ſummæ fortitudinis laude rarum manſvetudinis decus conjunxiſſe inter edita ſæpe virtutum ſpecimina liquidò perſpexerat. Armatâ, dixi, manu: quòd qui de pace unâ contendit, bellum humiliter deprecari intelligitur. At pacem vix concipit, qui vincere poteſt: non orat, qui de pluribus palmas retulit. Verùm ut tamti nobis boni autores Vos eſſe divina velit clementia, cùm omnis ad illam converſa Mentem Boruſsia ſupplicat,

cat, tum hæ inprimis Musæ. Quæ ut in otio natæ sunt, ita illius usurâ gaudent plusculâ; quò & Vos & Res populi vestri, quas etiam invitantibus magnis dIs inter nullas tamen servilis obsequii sordes hactenus colui, Virtute & Famâ præeuntibus verâ in pace mactare posint sanctiùs. Postquam enim sub vestri me Regni fasces redegit Patriæ fatum; animi datâ fide isti Regno obnoxii nec adfectum alium esse oportere duxi, quàm qui sic integer esset; si, quà poterã, commodum me præberem iis, quorum manusPatriæ civiumq; salutem nunc adserunt. Credite, Sexviri eminentissimi: amorem vestrum ambiunt hæ puellæ: verecundantes id profitentur penes me: apud Vos ego pro tenerrimis osculis eloquor, candoremq; spondeo, ex Patriæ quiete collati in meq; illasq; beneficii futurus numquam immemor. Valete, ae favete. Dabam Elbingæ anno ultimi temporis M. DC. XXXV. ipsis Calendis Ianuarii.

Vest. E.

devotissimus

Fridericus Zamelius.

Iam

IAm per Hyperboreum mentes suspenderat Orbem
Spesq; acerq; metus, totidem labentibus annis,
Quot belli posuêre minas, cùm Marte diremto
Armorum durant caussæ, delubraq; Iani
Clauduntur Regum non omni lite sepultâ:
Quotq; Gothum Lechiq; genus sub pace sequestrâ
Dimisêre domos, rusq; exercere paternum
Iussêre, atq; iterum cogi sub aratra juvencos.
Quamvis interea sumtum nec Sarmata ferrum
Poneret, & Sueonum populis nova crimina belli
Oppositis sereret Romana potentia castris.
Ille gravis Moscho Scythicis remeabat ab oris
Victor, & Ismarias, certo discrimine rerum
Cùm starent acies, jungebat fœdere gentes.
Et genus Arctoum late domitricibus armis
Ausonias vexabat opes, utriusq; petitum
Viribus Hesperiæ, nec tamtæ incumbere moli
Aut veros dubium sibi despondere triumfos.
Iam ne Threicii Martem secura furoris
Sarmatia optaret; neu leges sperneret æquas
GVSTAVI domus alma caput præcingere lauris
Docta, nec externos admittere finibus hostes,
Sed regnis quæsisse suis, rursumq; Boréo
Sub cælo positus vicinum invaderet Orbem;
Danarum Præses rerum, cognataq; Cimbri
Pectora cum Belgis Ararimq; bibente timebant.
Id veritæ gentes, Morini quas littoris actâ
Avulsos tenui Nereus interfluit æstu,
Sceptra tot & populos, lætæ quæ pacis habebant,
Secum ad puncta trahunt. Tot Te, Regina Gothorum,
Et Reges adeunt & proxima Regibus ora
Sollicitant, ut quas terrâ Boreetide natas

Silvestres inter laurus succrescere cœlo
Miratus Pater est oleas, cùm nata fuisses,
Æterno coleres jucundæ munere pacis.
Hi Vates repetunt, ac quæ responsa dedissent
De seclis, Christina, Tuis; pinusq; loquenteis
Inducunt, quales lacrumâ fulgentis electri
Tunc manasse ferunt: quæ sint aut commoda Regni
Aut populi sub pace docent; quid rura coronet,
Hæcq; colentis opus; quid Regni fulcra Senatum
Firmet, & extructas in majus provehat urbes,
Aut cumulet civile Bonum. Tu, diva, potenti
Assensa es nutu: nec, si Tibi militet acer
Finnus, & à Patriis Tibi sit magis utilis armis
Bellorumq; morâ, immensoq; Corelia tractu
Terrarum Geticæ sceptris accesserit Arcti,
Pars quoq; Teutonicæ Te maxima gentis adoret
Vindicis asserta Patris; vis prima subibat,
Aut duri Mavortis amor, galeæq; repostæ
Majorum longo ex ævo, gladiiq; corusci,
Ac tonitru horrendo multis lethale metallum.
Viderunt placidos in Virginis indice vultu
Et motus & vota animi componere mundo
Jussa suos fasces arcani conscia Regum
Pectora. Nec proceres, quorum Septemtrio ductu
Vrget adhuc populum, cujus Capitolia pridem
Succubuêre Gothis, detractaq; mollibus Afris
Nunc spolia Arctoæ mittunt ad tecta Puellæ,
Caussam immortalem belli dirumq; probare
Dissidium; ac si non hac palmâ Sarmata fisus,
Barbara quam dederit muris manus apta tuendis,
Apta minùs campo, pacem non abnuat æquam
Indecoremve Gotho; jam non prætendere ferrum

Fasq́; in Marte situm, sed amicas jungere dextras.
Continuò missi non sufficiente Senatu,
Scandiacâ quem Drusis habet de gente supremum
Militiæ jurisq́; Gothi, qui fœdera pangant.
Venit ad accensas Geticis regionibus urbes,
Baltica quas Tethys Austrinis abluit undis,
Fama rei tamtæ, vulgi jam murmure pronam
Iam dubiam de pace fidem, armatumq́; Polonum,
Aut Boreæ admiscens laurus & majus olivâ
Pacatâ Mavortis opus domitoribus Orbis.
Excelsâ virtute viros Aquilone profectos
Littoribus nostris se condere Drusula primùm
Et cives vidêre mei. Salvete Borussæ
Provida corda Rei, patriæ tutela Zamell,
Tuq́; prior, Tu Petre Comes, *quem gentis origo*
Altior, & propriæ clarant decora ardua famæ,
Quoq; Brahæa *domus multùm lætatur alumno.*
Salve Acco Axelide *magnorumq́; sangvis avorum,*
Post Gothicum Alciden, consors quem Neuria cœlo
Edidit Arctoo Vrangellũm *stemmate cretum,*
Atq; Bielkiaden, Stenonis *qui nomina præfert,*
Insigni merito divos auctture Gothorum;
Deinde Oxenstirni Iannes *stirps æmula Patri.*
Cujus ad oppositum venêre Trionibus axem
De populo externo meritæ præconia laudis.
At Tu, sive procul teris arva Sedinidos oræ,
Seu nostras, Boreæ decus ô prædulce Bielki,
Te villas inter via regia ducit ad urbem,
Sospes ades. Iam Te Herminius *desiderat unum*
Vrangelius *terræ Præses, sociusq; laborum*
Ianus Nicodamas, *quem dIs majoribus addit*
Nomen Ahausenum, *mens nata fovere Poetas,*

Et

Et non fucatæ sibi præmia poscere famæ,
Noster amor, referens solâ virtute quod audit
Carminibus nostris. Hic Tecum nuper adibat
Sarmatiæ Proceres studia in contraria raptos
Morte Sigismundi *cujus meritissimus* heres
Sceptra gerit. Quòd si reddent hæc munia pacem
(Quam præstent utinam!) sanciti fœderis autor
Sextus erit columen Studiorum Insigne **Meorum.**
In Vos respiciunt, vestris in vultibus hærent
Census, & effusum portarum in limina vulgus.
Iamq; notant aliquid prænunciaq; omina captant
Exiles animæ de caligantibus astris,
Seu facie ex vestrâ, qualem vidêre serenam:
Iamq; omnes in vota abeunt, ac templa Tonantis,
Huncq; ipsum, curæ cui sors humana, requirunt.
Ibitis: augustæ vobis de gente Polonâ
Occurrent mentes mediâ regione viarum,
Non dulcem exosæ posita inter bella quietem:
Quos inter Radivilus *apex Litoidos oræ*
Proximiorq; polo, quò plùs mansveta professus
Se cum Rege sequi, cujus mandata recepit.
Ponite funesto partas discrimine laurus,
Nec palmæ numerate decus, sed Palladis almæ
Frunde sacrâ, & placido circumdate timpora fructu;
Ac, si quà poterit, Paphias innectite myrtos;
Amplexusq; juvent, mollesq; alterna lacerti
Colla, nec in pacis desint sua pignora caussâ.
Pace nihil melius, pacis sunt dona beati
Res populi, & Regum vis inconcussa duorum.
Pace vigent leges & jura tuentia rectum
Pace feros ritus parvæ Pompilius urbis
Mutavit, venitq; suis reverentia sacris.

Quid Curium posthac vidit niveisq; Camillos
Roma triumfantes ; si pòst ferus Hannibal omnem
Terruit Italiam, rubuitq; à cive perempto
Aufidus, ac dominæ posuit fastigia gentis
Infusus Boreas & fundamenta revellit ?
Naturæ leges pacis sub lege tenentur.
Nutaret tellus, hûic si pugnaverit æther,
Et rerum immensum discordia solveret Orbem.
Marte fatigatos, quo se fregère Pelasgi,
Æmoniæ populos Oenotria Roma subegit.
Staret Cadméis, starent Pandionis arces,
Defensiq; Lares Spartani pectore civis,
Nî per cognatas periisset Græcia dextras.
Trinacriam coluêre dii, Siculosq; Penates
Larga parens frugum non dedignata feraces
Reddidit Ausoniis abruptos finibus agros.
Insula sorte suâ felix atq; ubere glebæ
Distractas odiis Pœnos admisit in urbes,
Hinc Latium, inde Arabas, Normannorumq; cohortes,
Celtamq; & tumidos numquam sibi reddita Iberos.
Pellæi pòst fata ducis, feraliaq; arma
Et fas calcatum, quid Persam in sceptra remisit,
Aut domitas Orientis opes ? redière prioris
Ad domini obsequium partæ per vulnera gentes,
Dum Syria Ægyptum, Syriamq; Europa cruentat.
Res sit inexhausti (quis enim neget esse ?) laboris,
Cûi sæpe incumbat gravis alea, sitq; profani
Non expers odii, belli componere motus,
Primaq; discordes in fœdera mittere Reges ;
At virtutis opus, quo se mortalia corda
Ætheriæ luci plus concepisse fatentur,
Dum tribuunt populis, quo nil divina potestas

San-

Sanctius afflictis posset concedere terris.
Æquora vicistis licèt assultantibus undis,
Et nimis hibernis infestos Solibus Austros,
Dum menses abeunt, veterem quibus egimus annum.
Vos salvi redeunte novo date gentibus Orbis,
Quod privata domus per vota precatur amicis.
Ite viri, & Regum monitu succurrite nostris
Rebus, & à gemino cædes avertite mundo:
Ac sua fatali decurrant stamina penso
Non ullâ violata manu funesta gerentis
Bella, sed ad patrios referantur corpora manes
Ærumnis defuncta suis, & fine laborum.
Ecce deûm vestros præcedunt agmina currus,
Parsq; deûm sequitur: qui si requieverit horror
Martis, & à duris Arctos cessaverit armis
Sarmaticæq; manus, spondent sua præmia terris.
Hos inter lætas agrorum spicea mater,
Si pacem dederitis, opes ostentat & amplo
Promittit gremio; mensas Pomona secundas,
Flora rosas, gratùmq; albentia lilia, calthamq;
Et gemitus Hyacinthe Tuos, qualesq; corollas
Virgo patrima gerit, cui mater cara superstes;
Pan ovium fœtus; nec Fauni Pana secuti
Cum Satyris Dryadesq; tacent aut ruris honorem,
Aut nemora hostili non interrupta bipenni.
Quàq; per obstantes cuneos flectuntur habenæ
Spectantis populi, patriæ rogat incola terræ,
Afferat ut vestri manus ultima muneris actus.
Hos udo pater Oceanus de littore cœtus
Prosequitur vultu, quo summa per æquora fertur,
Cùm sternunt lenes Zephyri mare: turbaq; circùm
Nereidum lautæ ruit ad spectacula pompæ,

Æquo-

Æquoreasq; extollit opes, & monstrat ab alto.
Ite viri, & quali præcurrunt Numina vultu
Ponèq; succedunt, stratoq; in marmore qualem
Tota domus Phorci gestat, viridesq; Napææ
Ante deos alios, pinuq; innexa capillos
Panum turba frequens, tali de Drusidos arvis
Ad medias properate vias, quò Sarmata divûm
Non asper monitis animo descendit eodem.
Sufficit in vestros Germania capta triumfos,
Ac ducibus concessa suis; fusiq; Latini,
Hispanæq; acies patrio sub sidere lectæ,
Aut procul extremis excitæ Iapygis agris.
Quid consangvinei committant prælia Reges,
Inq; sua infestum distringant viscera ferrum,
Cui meliùs Scytha succumbat, quiq; accolit Hebrum?
Dum secum me turba trahit fremitusq; faventum;
Adspicio latis tentoria surgere campis,
Pro foribus ternæ faciemq; habitumq; puellæ,
Qui Charitum est nexis in mutua vincula palmis:
Quo fratrum durant non rupto fœdere mentes.
Illa dabunt sedem tamtarum munia rerum
Aggressis animis, paci sua vota daturis.
Æthere sincero Sol se nitidissimus effert,
Et Procerum lætis connivent sidera cœptis.

Ad Illustriss: Dn. Petrum Brahe, Com. &c.

QVi præstas atavos excelsâ mente Brahéos,
Petre Comes, pridem quem coluêre Gothi,
Quem nunc disjuncto miratur in Orbe Borussus,
Præsidiumq; suæ dulce salutis habet;
Si placidæ missus tractare negotia pacis
Patratus pater hæc munia primus adis;

Da, quod sollicitæ poscunt Te pectora gentis,
Nosq; Tuo liceat munere pace frui.
Si dederis, illò major Te gloria tollet,
Quò dare res major; spes aluisse minor.

Ad Illustr. Dn. Herm. Vrangel Hær. in Ahlo &c.

VRangeli, Heroum cui secula longa priorum
Invideant, altæ rara propago domus;
Sit satis, Herculeis implesse laboribus Orbem,
Et vario excelsum Marte parasse decus.
Quàm nunc appares positis formosior armis!
Quamtus honor sumtæ pacis amore togæ!

Ad Illustr. Dn. Stenonem Bielke L. B. &c.

MAgne Bielkiade, cujus prudentia major
Terrarum potuit consociare deos,
Macte Tuâ virtute, Gothi sors tertia cœli
Iussa sacrum lætæ condere pacis opus.
Iunge manum populo, cujus pro Rege locutus
Egregiæ parti consona puncta dabas.

Ad Illustr. Dn. Achat: Axelii, Hær. in Göxh. &c.

AT Tu gentis amor, patriæ quæ fascibus Arcti
Promotis Latium sub pede culmen habet,
Cor natum in bellis, & Martia bella secutum,
Qui solidum à fido nomen Achate geris;
Hac facie nostræ spondes æquissima genti,
Fortis & immotæ cûi nota mentis inest.

Ad Illust: Dn. Iohannem Oxenstierna L. B. &c.

ERgo, Iane, redis? & portas Drusidos intras?
Remq; Borussiacæ pro Patre gentis ages?

Ipse

Ipse puta, quid Te reducem petat incola terræ;
Et, quos non nescis Te coluisse, Lares.
Est aliquid, quo nos redeuntis donet amici
Dextera Da nobis, quod dare missus ades.

Ad Generos. &Magnif. Dn. Io: N. ab Ahausen &c.

TV quoq; Nicodama, Gothicorum stella Trionum,
Cujus amant rectam sceptra Boréa fidem;
In quo illud colui, quod tractant carmina Vatum,
Materiam veræ qualia laudis habent:
Impartire meis, me Vate rogante, Borussis
Otia, de studiis plus meritura meis.

Ad eumdem.

COrda quibus gratæ celebravimus arbitra pacis,
Versiculos pono limine, Iane, Tuo.
A Te sunt primæ justi mihi carminis auræ.
Quid taceam? sumtu stat mea fama Tuo.
Dic Patriæ Patribus, si fortè probabimur illis,
Me majus Gothicæ volvere laudis opus.
Dic illis, quàm sint nobis hæc otia curæ:
Vt requies animi sola sit illa mei.
Vt spernant in me pronæ sordescere mentes
Hoc totum, cœlo corda quod orta probant.

Ad Sveciæ populos.

SVme, Gothum nomen, nutricem pacis olivam:
Et circa frontem Palladis arbor eat.
Sublatis armis pax nota sit una sub Arcto:
Exulet & Geticus Mars procul Orbe suo.
Gestant augusti Proceres, quos Sarmata mittit,
Fœcundas oleas. Omina pacis habes.

Frid. Zamell

GRATULATIO
de reditu in Borussiam
Magnifici & Nobilissimi Viri DN.
IOANNIS NICODEMI AB AHAUSEN,
Amplissimoq; munere
COMMISSARII PER BORUSSIAM REGII ORDINARII
ob virtutem, fidem, industriam
decreto,
versu epico celebrata
anno sal. n. M. DC. XXXII. d. V. Id. Sep.

Nicodamas, Musæ, magnum & memorabile nomen
Gentis Hyperboreæ, nuper mihi notior uni
Drusidos ex populo, cùm me legisset eodem
Fœdere, quo meritos fuerat complexus amicos,
Post geminas animas, rerum quibus annuit Orbis
Arbitrium fascesq; sui pietate tuendos,
Nunc columen fautorq; meus, cum Præside terræ
Vrangelio nostræ magni manus altera Regis
Sospes adest. Dum carpo viam, vultusq; tueri
Iucundos aveo, dilectisq; oscula palmis
Figere, dumq; meum mihi vendico solus amicum;
Ecce viri, cujus Gothicis in rebus agendis
Iam studium transgressa suæ sollertia famæ,

Iam

Iam curis apti jam digni hos ferre labores,
Mole quot ingenti parit ex se tota Borußis,
Venit in amplexus nostri pars magna Senatûs
Plebsq; secuta Patres. Nam quæ privata putaram
Stare suo fulcro, nec cum consorte placebant,
Fœdera cum Patriæ causâ confuderat ardor
Gratantis populi: cujus Tu vota probabas.
Non doleo meruisse novos Te gentis amores,
Candide Ahauseni, cujus mihi sidera nato
Illuxêre recèns, mihi quam cognatio caram
Et propior fecit sangvis; meruisse favorem
Tot quoq; corda Tuum: lætor, quòd munere tamto
Arduus ingentis cœpti molimina tractas
Redditus his oris: quorum sub Rege tyrannis
Improba detumuit Romæ sacra falsa tuentis,
Et semper lætæ Procerum civilibus armis
Teutonici cœli. Seu nunc Tibi gratia cordi
Prisca fidesq; prior; nostri Tibi copia præsens,
Materiesq; mei satis oportuna juvandi est;
Sive Tuos populo sudores dividis omni,
Non exclusus ero; Patriæ sed commoda consors
Participabo meæ: quicquid signaveris acri
Judicij puncto, quicquid suffuderit æstus
Officij seriesq; tui; nec judice sensu
Curarum in fluctu veteri sudabis amico.

Frangite si quid habent lentæ mea pectora curæ,
Formosum Phœbi Numen, Tuq; alma Sororum
Turba novem: jamq; ecce meam lux altera mentem
Corripit, & tacitas pertentat lumine fibras:
Quo Divûm manstrante domos portamq; favoris
Accessi; pariterq; Deûm Famæq; receptus
Limine securus gelidos despecto Triones;

Tum

Tum flectens aciem Regum in justissima bella
Heroum vulgo reparandam sangvine pacem.
Nunc quoq; dum notas videor transcendere terras
Barbariemq; loci, Geticis qui proximus oris,
Jam rupes superare Tuas, Cyrrhæq; silenteis,
Phœbe pater, silvas, vocesq; audire Dearum;
Sub pedibus cerno, quàm non sua gaudia constent
Degeneri turbæ veriq; ignara voluptas.
Infirmæ valeatis opes & si quid inanes
Majus habent animi: non hac in parte locabam
Præsidium generisq; mei famæq; futuræ.
Sors vaga, quæ dederat, vires explorct in illis
Ludibrio populi semper metuentis acervo.
His niti mihi dulce bonis, quæ mentibus hausta
Virtute & Superis cognato robore durant.
Non mihi, Pierides, deerunt in carmina vires:
Quas seu vos dabitis, seu qui mihi Numina Divûm
Conciliat domiti Rectoribus additus Orbis.
Huc ades, ô Gothicum genus & sociata potestas
DIs: quorum auspiciis, patriæ fas adseris Arcti
Adversus populum requiem & Gotha pacta perosum
Ostensæ pacis, cuiq; arma ferocia cordi;
Propitiusq; fave: Tu dignam suggere primis
Materiem cœptis: da mittam vela per altum,
Ingenioq; ferar: cui cura novissima famæ.
Certa satis pandes mihi Tu: quem Numina mundi
Inferioris amant, series cui cognita rerum.
Stymphalides rediistis aves, Lernæaq; sectis
Herculeo ferro cervicibus hydra revixit:
Pluraq; restabant venturis monstra diebus
GVSTAVI frænanda manu: restabat & ævo
Argumentum ingens: ne chartis omnia Vates

Traderet Ausonius, quem Mincius Andide Nymfâ
Progenuit, totusq; chorus, cui frontis honorem
Laurus obumbrabat scævi sub fata Neronis;
Alcidasq; suos dubius agnosceret annis
Æmula posteritas, Vatumq; innoxia virtus.
Quamta mei de Rege suo fiducia secli,
Quàm penè edomitum deploret Cerberon Orcus,
Vltor adhuc loquitur scelerum qui fulminat ensis
Romanam adversus gentem: cui concidit omne
Robur, & infamis Gallorum turba remansit,
Idææ Cybeles solis aptissima sacris.
Salve, Nicodama, ter jo venerabile pectus
Tot populis, Gothici quot Numina Regis adorant,
Ter carum sanctumq; mihi: cui dulce potiri
Parte sui. Tu mente puta (nec carmine disces
Illud ab exiguo) quamto discrimine rerum
Pignoribus fidei distet præsentior usus.
Non ita, cùm divûm genitor sua fulmina ponit,
Hocq; petit vultu, terris quo nubila pellit,
Æthiopum mensas, inter convivia gaudet
Fusca cohors magni faciem spectare Tonantis;
Vt reducis mihi, Iane, Tui frontemq; tueri
Pascereq; hos oculos gratum: quos sæpe jubebas
In spes ire novas vel pectoris indice vultu.
Non magis Alcyone, licet irrita vota dedisset
Numinibus Ponti, nec Tu Regina deorum
Respiceres miseram, raptum Ceyca petebat,
De solo Ceyce loquens solumq; requirens.
Vix ita, Nicodama, satius cùm flesset ademtam
Quæsitamq; diu, natæ lætata receptæ
Alma Ceres reditu, quamvis non sorte priori,
Filia nupta Deo, cûi parent infera mundi,

Et formidati Lemures simulacraq; noctis,
Spernere jam thalamos penitùsq; exesse mariti
Non poterat regnis fatali à seminis esu.
Divisi menses inter generumq; potentem
Tædiferamq; deam: mansit sex mensibus anni
Sollicitâ cum matre, viro sex mensibus hæsit.
Forsitan & Regum victor, cui proxima cœlo
Sceptra dedit pietas, nostræ Te reddidit urbi
Et Laribus notis, postquam bis tertia fulsit
Plenior exoriens subjectis Cynthia terris,
Conditione pari; si Te majora reposcant
Arbitria & rerum moles, quam Regia corda
In meritas animas solùmq; excelsa secutas
Munia distribuunt, socioq; subire lacerto
Et sufferre jubent; nostris excitus ab oris
Limen ut Augustum repetas, patriæq; Dynastis
Permistus sedeas. Fortunæ si qua futura est
Scena Tuæ major, si quæ Te fata manebunt
Hoc decus excessura Tuum; sis Drusidos urbis
Et populi indigenæ seros tutela per annos:
Cùmq; pias Superûm sedes & Olympia liber
Regna petes nexu, quo massa fatigat anilis
Ætherios sensus; nostræ sis indiges oræ.
Serva animum & mores, ac quâ Te dote probasti
Magnanimo Regi Mentiq; à Rege secundæ,
Hac patriam gentemq; meam causamq; bonorum
Assere. Sunt Superi: qui, dum mortalia cernunt,
Iam vitio posuêre modum, jam præmia recto
Constituêre: movet Vatum præcordia veri
Æternus tenor, & diæ vis conscia mentis.
Nil humile abjectumq; vehit sincera Poesis,
Crimen iners odit, scelerataq; corda flagellat.

No

Ne laurus ne sperne Tui, vir magne, Zawell:
Cujus ab ingenio repetent Tua gesta nepotes.

De eodem è Germ. reverso.

RVmor Ahausenum Gallis donaverat anceps;
Teutones optarant detinuisse virum.
Id pax cum Gallo lætæq; negotia pacis,
Hoc res Teutoniæ poscere visa Ducum est.
Ire Borussiacas jubeo, Rex dixit, in oras.
Hæc tellus miseris porta salutis erat.

Eidem cum Illust. Dn. St. Bielke ad Proceres Senatumq; Regni Poloniæ Legationem obeunti.

IANE, Tuas ultro celerant sua tempora laudes:
Iamq; recens minor est munere fama Tuo.
Nempe tuam Spartam sollerteis esse Borussos,
Hesternâ constat nos didicisse die.
Exoritur nova lux: hujus nova fama diei
Te quoq; Sarmatiæ narrat adire Deos.
Hoc plus est; quod se mallet Rex ipse locutum,
Id totum fidei credere, IANE, Tuæ.
Verba fac ad rerum Dominos, quibus annuat æther:
Rexq; Gothus dicat Te referente: BENE EST.

Lectori.

TV quâ parte potes, reduci gratabêre, Lector.
Carminibus potui: pauca repente dedi.
Quid cessas? nôrit, quàm sit Tibi promta voluntas:
Qui de me, de Te plus meruisse potest.

Ad Serenifs. ac Potentifs. Sveciæ Reginam.

MEnte sedet firmâ, Clarias non sumere lymfas,
Pegasis aut quales ungula fudit aquas,

Pyre-

Pyrenen Scythicis hodie sub fascibus undam,
In numero Vatum quos juvat esse, bibunt.
Pono lyram fessus. Si Tu dea jusseris Arcti,
Accipiam vires in metra jussa novas.

Ad Lectorem.

B*Is captam Philuran, bis, lector amice, receptam*
Scripsimus: est olei rustica Musa mei.
Nec laudes tacui genitali Druside dignas,
Aut Samii numeros, Euthaliiq; dapes.
Hinc colui uxores (utramq; Charillida dixi)
Et de me meritum Nicodamanta meum.
Huîc ego pangebam, quæ sunt postrema meorum:
Sit quamvis summus Pacis Oliva labor.
Penè mihi distincta libris Epigrammata quinis
Exciderant: sextum sparsa subinde dabunt.
Vnicus Euthalii convivia lauta subibat.
Ordinis hic cœpti septimus esse potest.
Quicquid ad uxores, constabit quinq; libellis:
Sic quater explebit tres Epigramma libros.
Addam bis quatuor; certum est superaddere plures,
In nostrum Danaes si pluet imbre sinum:
Si requies fuerit, qualem sacra carmina poscunt:
Quali plus decoris nostra relecta ferent:
Quali omnem exuerint temere mihi condita noxam.
Ad Patriæ redeo munia, resq; meas.

In quemdam.

E*St quidam cantor, qui nomina nostra lacessit,*
Inq; suis ponit torta retorta metris.
Verte illi nomen: suis est à podice totum.
Belga est: hoc ipsi patria lingua dabit.

FINIS.